



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs IX. De Renvntiatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

TITVLVS IX.

DE RENVTIATIONE.

Dostquam dictum est de modis acquirendi praelaturam ecclesiasticam, postulatione, electione, translatione, atque de pallio, per quod traditio potestatis ecclesiasticae completur; subiungitur de renuntiatione, qui est praecipuus modus praelaturas, aliaque ecclesiastica beneficia amittendi. Renuntiatione interdum accipitur late, pro cuiuscunque iuris sui refutatione, quo sensu dicunt DD. in c. quia periculosum, 8. causa. 7. q. 1. quod liberum cuique sit iuri suo renuntiare; dummodo id fiat sine praediuicio alterius, etiam Ecclesiae, seu Communitatis: ob quam causam Clerici privilegio canonis, aut fori renuntiare haud possunt. Interdum vero accipitur strictè, vt in hoc tit. pro resignatione iuris sibi competentis circa beneficium ecclesiasticum, & definitur solet. spontanea proprii beneficii dimissio, facta coram legitimo Superiore, id acceptante.

CAPITVLVM I.

Literas.

Archiepiscopus Londonensis aliquoties à Sede Apostolica perierat, vt Archiepiscopatu renuntiare ipsi liceret, praetendens senectutem, & corporis debilitatem, ob quam ad onera ecclesiae sustinenda insufficientis esset. Ad id respondit Alexander, Consultius se arbitrari, vt eo tempore persecutionum Ecclesia Anglicana auctoritate eiusdem Archiepiscopi gubernetur, quam vt nouo incognito nauarcho committatur: praesertim cum corporis viribus deficientibus, ardore fidei & deuotionis tanto magis augeatur. Quare hortatur Archiepiscopum, vt Apostolicae Sedi molestiam exhibere desinat, liberationem petendo; cum non

deceat in ipsis periculis belli exuere militiam cingulum, priusquam victoria ab hostibus obtenta, & optata pax restituta sit.

NOTANDVM I. Praelati renuntiatione admittenda non est, dum ecclesiae utilis existit. *Qua de re infra in c. nisi, 10. hoc tit.*

NOTANDVM II. Miles durante bello non facile dimitti debet: cum id in Reipublica seu exercitus damnum cedat. *Qua de re Gl. margin, hoc cap.*

CAPITVLVM II.

Cum inter.

PARAPHRASIS.

Inter Petrum Gaufridi, & quosdam alios Caponicos diu fuerat agitata controversia super beneficio ecclesiastico, & pertinentibus iuribus, videlicet stallo in choro, loco in Capitulo. Denique Petrus cessit iure, si quod ei competere, iuramento se obstringens, quod beneficium istud petere amplius nolle. Postea vero Romanus Pontifex idem beneficium Petro conferri mandauit, si maior Capitularium pars consensum dederit. Queritur, vtrum iuramentum ob stare debeat, quod minus Petrus beneficium consequi possit. Respondet Pontifex: Si maior pars Capitularium consensum praebuit, Petrum, non obstante iuramento suo, in possessione beneficii, in quo Pontificia auctoritate inuestitus est, defendendum esse.

SUMMARIVM.

1. *Qui iuramento renunciauit beneficio, licite potest illud nihilominus petere & obtinere; si denno eligatur, vel instituat.*

2. *Et hoc quidem procedit etiam in casu, quo per iuramentum renunciaisset omni iuri quaesito, & acquirendo, & Superior imperaret, ut oblata praelatura vel beneficium acceptaretur.*

Aut in fauorem Canonicoꝝ, qui eum de nouo eligerent, editum esset iuramentum.

3. *Obligabit autem hoc iuramentum, si editum esset in honorem Dei.*

NOTANDUM Vn. Qui beneficio, quamuis iuratus, renunciauit, potest nihilominus illud petere, & obtinere, si post iuramentum denuo ad id eligatur, vel instituat. Et generalius loquendo: Renuntiatio, ipsūque iuramentum renuntiandi iuri suo interpretandum est secundum rei statum, & causam tunc subsistentem; non item si causa superueniat, arg. veniens, 16. & c. quemadmodum, 25. de iureiur. Quia simili ratione, si pacem cum inimico iuratus iniueris, non obligaris iuramento, postquam noua illum offendendi causa superuenit; v. g. si ille iterum iniuriam intulit, ut Abb. hic docet n. 10. Ratio est: Quia iuramentum, cum strictæ interpretationis esse oporteat, iuxta l. quidquid, ff. de verbor. obligat. extendi non debet ad futura, quæ plerumque incognita sunt, ideòque non comprehensa censentur sub iurantis intentione, Quia de re vide, quæ fusiùs dixi lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 9. n. 1. & n. 5. in 4. condit. Vel dicere potes, renunciationem, cum sit iuris refutatio, quæ non facillè præsumitur, strictæ interpretationis esse, ideòque non extendendam ad renunciationem iuris ex causa postea superueniente orituri, ut docet Ioseph. Mascardus vol. 3. de probat. concl. 126. n. 13.

2. Sed restat quaestio, si animus fuit per iuramentū renuntiandi omni iuri seu quaesito, seu ex noua causa acquirendo, utrum nihilominus acceptari possit beneficiū ob nouam electionem, vel institutionem. Resp. In primis omne eiusmodi iuramentum interpretandum est, saluo iure Superioris, qui ex iusta causa, tendente ad ecclesiæ utilitatem, imperare potest, ut oblata Prælatūra, aut be-

neficiū acceptetur, argum. c. venientes, 19. de iureiur. Deinde, considerandum est, in cuius præcipuè fauorem, aut utilitatem iuramentum editum sit: An in Canonicoꝝ, quibuscum controuersia intercessit; tum ijs de nouo eligentibus renuntians consensum dare potest, uti rectè hic docet Innoc. Quia iuramentum in alicuius fauorem, aut utilitatem editum, intelligi debet, nisi ille expressè, vel tacitè obligationem remiserit, ut dixi lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 9. n. 4. in 3. condit. An verò iuramentum editum fuerit in honorem Dei, quia beneficiatus seculo renuntiare, & Religionem ingredi cogitauit; tum sanè obligatur iuramento, propter statum Religioſæ paupertatis meliorem.

CAPITVLVM III.

Ex transmissa.

PARAPHRASIS.

Rubeus secularis, Canonicus Ecclesiæ S. Nicolai, cum infirmitate premeretur, petijt in Monasterio Saluatoris habitum monasticum, eum cum induisset, ex morbo conualuit. Quamobrem rogauit, ex Ecclesiâ S. Nicolai ea sibi restitui, quæ obtulerat, ijsque obtentis, reuersus est ad Monasterium, votum seu desiderium suum monastici Instituti impleturus. Sed mox mutato animo, antequam professionem ederet, volebat restitui in ecclesiam S. Nicolai, cuius Canonicus fuerat. Ad id respondet Alexander III. Quoniam Ecclesiâ S. Nicolai à Rubeo soluta est, propter tacitam eius renuntiationem, quam fecit petendo, & recipiendo ea, quæ ecclesiæ donarat: ideo Abbatem S. Nicolai & socios eius compelli non posse ad recipiendum Rubeum: quamuis rogari possint, ut eum de nouo in fratrem & canonicum ex gratia recipere dignentur.

SUMMARIUM.

1. *Qui renunciat beneficio, illud repetere*

Admonet.

PARAPHRASIS.

Alexander III. scribit ad Episcopum Tornacensem, vt prohibeat Clericis suæ diocesis, ne Ecclesias ad suam prouisionem spectantes absque assensu suo accipere, detinere, aut dimittere præsumant: Sin verò contra hanc prohibitionem fecerint, canonicas in eos censuras inferat.

SUMMARIUM.

1. Ad Episcopum spectat iure ordinario beneficiatos in ecclesijs instituire, eorumque resignationes acceptare.
2. Beneficiari resignare debent beneficia sua in manibus Ordinarij; alias renouari possunt: quod tamen suas limitationes patitur.
3. Resignationes ecclesiarum parochialium ordinariè non acceptantur, nisi saltem tribus vel quatuor annis ecclesiam possessione sederit; difficilius recipiuntur resignationes Prælatorum habentium ordinariam & generalem iurisdictionem, vt sunt Abbates, Præpositi, alij Regulares, &c.
4. Ordinarius sciens discessum Prælatis, aliteriusve beneficiatis, si non contradicat, neque intra sex menses eum reuocet, censetur renuntiationem habere ratam.
5. Beneficiarius ab ingressu in religionem impediri non potest ab Episcopo, ita vt sufficiat ab eo hoc casu licentiam petere, licet eam non obtineat.
6. Neque ab Episcopo impediri potest, si ad maiorem curam, dignitatem, vel prælaturam eligatur, & nullum obstet canonicum impedimentum.
7. Etsi ius conferendi beneficia pertineat iure speciali, vel consuetudine ad inferiorem Episcopo, non tamen propterea etiam ad eundem pertinet potestas resignationes accipiendi, nisi iurisdictione

non potest, sed amittit omne ius in beneficio.

2. Idem est de eo, qui absolute & in perpetuum depositus est.

3. Mulieres, vt nouitia, ingressa Monasterium, strepetant & recipiant dotem, hoc ipso significant, se mutasse animus & nolle Religionem profiteri.

4. Ferè non est consultum, vt beneficiari religionem ingressuri ante ingressum beneficio renunciant. Renunciatio autem facta post ingressum ante duos menses professioni faciendæ proximos irrita est.

NOTANDVM I. Qui renuntiat beneficio expressè, aut tacitè (quod fit factò aliquo renuntiationem significante) amittit omne ius in beneficio, posteaquam renuntiatio à Superiore accepta fuit: aded, vt si de nouo instituatur, vltimū locum tenere debeat. Idemq; dicendū de deposito absolute, seu in perpetuū. Sed alia ratio est de priuato ad tempus, seu suspenso: is postea restitutus, recuperat iura & locum suum, vti constat ex l. 2. ff. de decurion. lib. 1. vbi id Bartol. docet, & Abb. hic. n. 5.

NOTANDVM II. Si mulieres, quæ alata dote in Monasterium, probationi se subijciant, dotem repetant, & recipiant; eo ipso significant, animum se mutasse, vt Religionem profiteri nolint: Quia censentur repetere tanquam datum ob causam, causā non secutā.

4. Ad extremam monere hinc volui; ferme non esse consultum beneficiatis, vt Religionem ingressuri beneficijs suis antè renuntient. Sin autem post ingressum tempore durantis probationis, ante duos menses professioni edendæ proximos, beneficio suo aliquis renuntiet, irrita est renuntiatio, ob Trident. Constit. sess. 25. c. 16. de Regular. Quamobrem durante tempore probationis, beneficium, si opus sit, per Vicarium administrari debet, congrua illi fructuum portione assignata. Vide quæ dixi lib. 3. Th. moral. tr.

5. c. 7. q. 3.

nem in beneficiatos habeat, ut eos etiam destituere, seu deponere possit.

8. *Accusatus de crimine, ob quod beneficium privari potest, ante sententiam privationis renunciare potest, nisi iam conclusum sit in causa, vel alius impetravit à sede Apostolica beneficium, de cuius vacatione speratur.*

NOTANDVM I. Ad Episcopum iure Ordinario spectat, beneficiatos in Ecclesijs instituere, eorūque resignationes accipere. Ita etiam habetur c. 2. & seqq. causa 10. q. 1. c. 2. de Instit. c. 1. de capell. Monachorum c. cum ex iniuncto, 12. de hæreticis, quòd ad officium Episcopi tam institutio, quàm destitutio sacerdotum pertineat.

NOTANDVM II. Beneficiati beneficia, quæ canonicè consecuti sunt, arbitrato suo deferere non possunt; sed ea in manibus Ordinarij resignare debent: alioquin reuocari possunt, vti etiam constat ex c. non oportet, 19. c. si quis verò, 23. & seq. causa 7. q. 1. Et de omnibus beneficiatis tradit hic Gl. communiter recepta, ver. inconsulto. Cùm enim Ecclesia seu beneficium beneficiato obligatum sit, adèd, vt sine iusta depositionis causa eo priuari non possit, si ipsi in titulum, adèd quæ in perpetuum collatum fuerat, æquum omnino est, vt similem obligationem beneficiatus contrahat, ne videl. beneficium dimittere seu resignare possit, nisi acceptante Ecclesiæ Prelato. c. 3. n. 44.

Sed limitari debet primò: Si quis solum habeat ius ad rem, per electionem, postulationem, aut literas Papales de promouendum propria auctoritate renunciare potest, ante accedentem Superioris confirmationem, aliamue institutionem. Ita sumitur ex c. ad audientiam, 31. de rescript. & c. si electo, 26. de elect. in 6. vbi id tradit Gl. communiter recepta, ver. renuntiat, Anton. de Butrio, c. quod in dubijs, n. 4. Ioann. Ananias, n. 18. hoc tit. Sed bene monet Gl. cit. Non obstante denuntiatione electi, si electores in materia, aut forma electionis non peccarunt, posse Superiorem, cognita causa,

eos priuare, aut priuatos declarare: quandoquidem electio, quoad ipsos, qui officio functi sunt, effectum habuisse censetur per electionis promulgatum decretum, vtdixi in c. publicato, 58. de elect. & sumitur ex c. perpetuo, 7. eod. in 6.

Secundò limitant Anton. Butrio c. quod in dubijs, n. 4. hoc tit. Garcias de benefic. p. 11. c. 3. n. 249. etiam post collationem, si causa litigiosa sit, & ius verè dubium, renuntiare posse absque Superioris auctoritate. Quia renuntiatio, per quam in causa dubia receditur à lite, fauorabilis est, ac facilius admittenda.

Sed contrarium magis placet, quod docet Ananias cit. c. quod in dubijs, n. 18. Primò: Quia hæc limitatio nullo iure ostendi potest. Ergo standū est regulā, quòd resignatio beneficij acquisiti absq. Superioris auctoritate fieri nō debeat. Secundò: Quia sæpe inter est, vt Episcopus, seu Ordinarius cognoscat causam renuntiationis, præsertim in beneficijs curatis, vtrum Ecclesiæ expediat, necne. Itē, num facta sit sponte, nullo metu cogente, nec simoniaca portione interueniente: propter quas non expedit, vt renuntiatio beneficij firma sit, priusquam ab Ordinario approbetur, seu ratificetur. Fateor tamen ob litis componendæ, seu cōcordiæ causam, renuntiationes in causa dubia seu litigiosa facilius admittendas esse. Videri etiam potest Azor. tom. 2. lib. 7. c. 30. q. 3. vbi tradit, beneficium litigiosum nec impetrari, nec apud Papam renuntiare posse in gratiam alterius, non facta mentione litigiosi.

His adde primò: Renuntiationem Canonicatum, & similibus simplicium beneficiorum, Ordinarij, alijsque habentes ius recipiendi resignationes, faciliè admittere debent, ordinariè loquendo: dummodò beneficiato, si in statu ecclesiastico manere velit, prouisum sit, vt honestè se alere queat. At verò resignationes ecclesiarum parochialium, spectata consuetudine Curie Romanæ, quam alios Ordinarios imitari decet, ordinariè non recipiuntur, nisi Parochus aliquot, saltè tribus vel quatuor annis ecclesiam possederit. Quæ de re Garcias p. 11. c. 3.

num. 44. Habenda etiam in primis est ratio plebis, quid ei vtile sit, arg. c. quidem, 12. infra, hoc tit.

Aliquantò difficilius admittuntur resignationes Prælatorum, habentium ordinariam & generalem iurisdictionem, cuiusmodi sunt Abbates, & Præpositi Regulares, &c. Veruntamen si causam aliquam cedendi habeant, ab Episcopo retinendos non esse constat ex c. vlt. causæ 16. q. vlt. Denique Episcoporum, qui arctissimo & indissolubili vinculo cum ecclesiis astricti censentur, resignationes non admittuntur, nisi à Sum. Pontifice, ex vna causarum, de quibus infra c. nisi, 10. hoc tit.

4 Adde secundò: ex Innoc. & Ioan. Andr. hoc c. Si Ordinarius sciens discessum Prælati, alteri vsue beneficiati non contradicat, neque eum intra sex menses reuocet, quòd renuntiationem eius ratam habere censetur; idèque electores ad nouam electionem, vel ob causam negligentiam Superiorem ad nouam prouisionem procedere posse; Consultus tamen esse aiunt, vt prius admoneatur Ordinarius, quàm tale quippiam saltem ab inferioribus electoribus aut collatoribus attemptetur.

5 Adde tertio: Si beneficiatus ad Religionem se conferre velit, impediri non posse ab Episcopo; adèd, vt hoc casu sufficiat licentiam petere, iure ipso Pontificio discedendi potestate faciente, si Episcopus eam neget, argum. c. licet, de Regular. & tradit Gl. cit. Hostiensis hic in sum. §. Cui fit renuntiatio, Abb. in hoc c. n. 4.

6 Adde quarto: Si beneficiatus ad maiorem curam, dignitatem, vel Prælaturam eligatur, & nullum canonicum obstat impedimētum, Episcopum impedire eum non posse, vt docet idem Hostiensis in sum. tit. de postulat. Prælatorum, §. Quis postulandus. Gl. final. huius c.

QVÆRITVR PRIMO. Si beneficij collatio pertineat ad inferiorem Episcopo, videl. ad Capitulum ecclesiæ Cathedralis, vel ad Præpositum, vtrum in manibus eiusdem collatoris, an verò in manibus Episcopi cessio seu resignatio beneficij facienda sit.

Respondeo, & Dico I. Tametsi iure speciali, vel consuetudine præscripta ius conferendi beneficia pertineat ad inferiorem Episcopo, nõ ideo consequens est, quòd ad eundem pertinere debeat potestas resignationes accipiendi: præterquam si iurisdictione obtineat in beneficiatos, ita vt eos etiam destituere seu deponere possit: cuiusmodi potestatem quasi episcopalem habent quidam Prælati exempti. Ita post Innoc. in c. quod in dubijs, Abb. ibid. n. 6. Ioan. Ananias n. 19. Gl. in Clem. vn. hoc tit. ver. manibus, Ibid. Imola, Christoph. Rossiniacus de beneficijs, c. 14. n. 54. Petr. Gregor. Tholos. de re benefic. c. 3. n. 11. Ratio est: Quia præscriptio, præsertim contra facultates Episcopis communi iure concessas, strictæ interpretationis esse debet. vt non extendatur ad casum, seu actum diuersum: Atqui beneficia conferre, & beneficiatorum resignationes accipere, diuersa lura sunt, quæ frequenter nõ ad eundem, sed ad diuersos spectant, vt ostendit Tholosanus cit. loco. Ergo ex eo, quòd ad inferiorem Episcopo beneficij collatio speciali iure spectat, non est consequens, ad eundem etiam pertinere, vt resignationes accipiat.

Dico II. Frequenter accidit, vt hæc duæ potestates in inferioribus collatoribus coniunctæ sint, vt sicuti beneficia conferre, ita etiam eorum resignationes accipere possint. Hæc assertio est secundum mentem Gl. in cit. Clem. vn. Hostiensis in sum hoc tit. §. Cui fit renuntiatio, Syl. ver. renuntiatio, q. 3. vbi generatim aiunt, beneficiorum resignationes coram eo fieri, à quo acceptæ fuerunt. Quod intelligo, non quia ita secundum canonum præscripta fieri necesse sit; sed quia ita fieri plerumque consuevit, vt ijdem, ad quos iure ordinario pertinet beneficia conferre, seu beneficiatos instituere, resignationes etiam accipiant: saltem, si loquamur de simplicibus beneficijs, v.g. canonicatibus, quos si Capitulum v.g. sine dependentia ab Episcopo conferat, eorundem quoque resignationes accipere consuevit. Sed alia ratio est de beneficijs curatis, quorum prouisio, & consequenter etiam destitutio seu resignatio, absque examine, seu assensu Episcopi fieri non de-

M m m bet

bet in ecclesiis subiectis curæ eius, vti non obscure colligitur ex hoc c. & c. 1. de capellis Monachor. & c. vn. eod. in 6. Trident. sess. 25. c. 9. de reform. & videri potest Abb. c. in Lateranensi, 3. l. n. 6. de præb.

8. **QVÆRITVR 2.** Vtrum accusatus de crimine, ob quod beneficio priuari potest, ante latâ priuationis sententiam renūtiare possit? Responso est affirmatiua, quam ex communi explicauimus lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 17. prope finem. Et ampliatur hæc doctrina apud Steph. Quarantam in sum. Bullarij, ver. beneficiorum resignationes, vt etiam procedat pendente appellatione post sententiam priuationis, quia sententia per appellationem suspensa manet, dummodò hoc casu in resignatione mentio fiat de appellatione. Limitationes verò duas affert idem Auctor circa resignationem in alterius fauorem: I. Si conclusum sit in causa, ita vt nihil restet, nisi proferenda sententia. II. Si alius quispiam à Sede Apostolica impetrauit beneficium, de cuius vacatione speratur: his duobus casibus renuntiatio irrita, aut subreptitia censenda erit.

CAPITVLVM V.

Super hoc.

PARAPHRASIS.

Titius beneficij possessionem amisit, illudq; ad Caium peruenit: Ille reposcit beneficium à Caio, tanquam in quo canonicè inuestitus fuerat: Caius excipit, quòd idem Titius spontè cesserit, seu renuntiãrit beneficio, nullam causam exprimens factæ renuntiationis. Sed Titius Actor negat se sponte renuntiasse, quin potius vi & metu adactum fuisse.

QVÆRITVR hoc casu primò; Vtrum Reus audiendus sit, si spontaneam renuntiationem, sine causæ expressione obijciat. Secundo: Vter ad probationem pro altero admittendus sit; Actorne, quòd sponte non renuntiãrit; an verò Reus, quòd spontanea renuntiatio interuenerit.

Ad 1. q. respondet Clemens III. Vtile &

consultum fore, vt Iudex, coram quo controuersia agitur, causam renuntiationis inquirat, & cognoscat, cum verisimile non sit, quòd Titius beneficium, ex quo sustentari debet, & multis fortè expensis ac laboribus acquisiuit, facile de causa abiurari: Quòd si autem allatà causà renuntiationis, intelligat eam probabilem esse, ad eòq; renuntiationem factam non per vim aut metum, nec per extorsionem, neque per pecuniã, aut promissionis interuentum (maximè si nec iuramentum interuenerit; quandoquidem iuramentum rarò ex spontanea voluntate, sed plerumque ex necessitate procedit, à malo originem trahens) illam admittat: præterquam si Actor replicet, se quidem renuntiasse beneficio, sed renuntiationem spontaneam non fuisse. Hoc casu Actor ad probandam replicationem admitti debet. Quia licèt factum negatiuum, si nudè & præcisè spectetur, probari non possit; potest tamen, si implicitè & virtualiter cõtineat affirmatiuum; vt in casu proposito, si Actor dicat se renuntiasse non sponte, implicitè asserit sibi vim illatam esse. Fieri autem tunc solet, vt pro eius replicatione (considerata conditione dignitatis, ac bonæ opinionis suæ) maior præsumptio sit, quam pro exceptione Rei; ideòque hoc casu Actor, præ Reo ad probationem admitti debeat.

SUMMARIUM.

1. Renuntiatio non facillè presumitur, idèque stricti iuris seu interpretationis est, neque extendenda vltra casum expressum.
2. Actor suæ petitionis causam exprimere debet, non autem, ordinariè loquendus, reus suæ exceptionis.
3. Si præsumptio maior sit pro actore replicante, quam pro reo excipiente, tum Actor potius ad probationem replica admittendus est.
4. Renunciatio beneficij facta alteri, quàm legitimo Superiori aut Collatori, valet in præiudicium renunciantis, ita vt beneficium priuari possit.

5. *Simoniaca renunciatio omni iure irrita est: quamvis simoniace renunciatus in criminis pœnam beneficio priuari possit.*

NOTANDUM I. Renuntiatio facillè non præsumitur; ideòque stricti iuris, seu interpretationis esse censetur, uti docent DD. apud Iosephum Mascardum de probat. vol. 3. cõcl. 1263. Est enim repudiatio iuris, adeòque species quedam donationis: nemo autè facili de causa donare, seu propria iactare creditur, l. cum de indebito, 25. ff. de probat. Quamobrem docent Doctores apud eundem Mascardum, quòd renuntiatio extendenda non sit ultra calum expressum: ut si quis iuri suo renuntiet ex vna causa, vel vnus priuilegij adiumento; non ideo etiam censendus sit renuntiasse ex alijs causis, titulis, aliisque priuilegijs. Si tamen renuntiatio generalibus verbis concepta fuerit, ad omnia se extendit, saltem similia, & non maiora ijs, quæ expressa sunt, iuxta ea quæ dixi in c. sedes, 15. de rescriptis. Neque tamen renuntiatio generalis extendi debet ad insolita, aut probabiliter incognita, neque ad ea, quæ specialem renuntiationem suapte natura requirunt, qualis est causa alimentorum, dotis, bonorum feudaliũ. Interdum tamen si renuntiatio generalissima sit, præsertim geminata, etiam ea comprehendere censetur, quæ alioquin specialem derogationem requirunt, uti notauit idem Mascardus cit. concl. 1263. n. 45. post Bartol. in l. si de certa, C. de transact. & l. 1. in fine, ff. si quis in ius.

NOTANDUM II. Non uti actor causam suæ petitionis exprimere debet, l. 1. ff. de e-dendo, cap. 2. de libelli oblatione; ita etiam Reus, ordinariè loquendo, exceptionis causam edicere tenetur; quia actio tendit ad alterius obligationem; exceptio verò ad liberationem: liberationis autem maior fauor esse solet, iuxta l. tale, 40. ff. de pactis, l. cum de indebito, 25. in fine, ff. de probat. c. si cautio, 14. de fide instrumentorum; Ex quibus iuribus habetur, quòd confessio debiti sine expressione causæ rejicit onus probandi in creditorem: sed confessio solutionis, aut remissionis sine expressione causæ, absolutè li-

berat debitorem. Veruntamen si præsumptio sit contra Reum excipientem, tum Iudex ex officio cogere illum potest ad expressionem causæ: Ut in proposito casu, si Reus conuentus dicat, quòd Aduersarius spontanea voluntate renuntiãrit beneficio, interrogari potest, quam causam ille habuerit huius renuntiationis faciendæ. Quia id scire utile est ad causæ expeditionem: quamuis absolutè non necessarium; cum satisfaciãt Reus, si testes exhibeat, qui dicant se renuntiationi factæ interfuisse, eãmque audiuisse; neque vllam aduertisse circumstantiam, ob quam non spontanea, sed coacta aut extorta renuntiatio censeri deberet, sicuti ex Antonio de Butrio refert hîc Imola, n. 18.

NOTANDUM III. Si præsumptio maior sit pro Actore replicante, quàm pro Reo excipiente, tum Actor potius ad probationem replicæ admitteadus est: Ut in proposito casu, si vir probatæ vitæ dicat, ac probare velit, se non sponte, sed coactum beneficio renuntiasse: quandoquidem nemò facillè iuribus & commodis suis renuntiare censetur. Accedit, quòd violentia, quippe exterius conspicua, facillius probari possit; quàm spontanea renuntiatio, quæ in animo latens est, & ferme probari non potest, nisi per negationem, videlicet nullam vim adhibitam fuisse: qua de re videri hîc potest Innocent. n. 8. Abb. 34. 35. Vide quæ in simili dixi lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 5. n. 3. dicto 2.

His adde; Si Actor probet se violentiam passum, atque beneficio spoliatum esse, ideòque agat interdicto possessionis recuperandæ, ei obijci non posse exceptionem factæ renuntiationis, uti habetur in c. 2. de restit. spoliatorum: quia spoliatus prius restitui debet, quàm de iure proprietatis disceptetur.

NOTANDUM IV. Renuntiatio benefici facta alteri, quàm legitimo Superiori aut collatori, valida est in præiudicium renuntiantis, ita ut beneficio priuari possit. Ita docent DD. in c. quod in dubijs, hoc tit. & colligitur ex hoc textu, cum dicitur, renuntiationem à Superiore admittendam, seu ratam habendam esse, si ostensum fuerit, non

vi, nec metu, nec oppressione, nec pecuniæ interuentu, nec alia simoniaca pactione peractam fuisse, haud dubiè coram alio, quam Superiore. Porro si ostensum fuerit, per vim, aut metum iniustum renuntiationem factam esse, seu in manibus Superioris, seu alterius cuiusque, succurrendum est metum passo, iuxta c. 2. de ijs qui vi, & c. Sin autem renuntiatio simoniaca fuit, omni iure irrita censerit debet, iuxta c. cum non pridem, & c. vlt. de pactis. Quamuis simoniacè renuntians in criminis pœnam beneficio priuari possit per Superioris sententiam, uti Gl. hic notauit, ver. pecuniæ, Gregor. Tholos. de re beneficiaria, cap. 3. 1. in fine. Videri potest Garcias de beneficijs p. 11. c. 3. n. 145.

CAPITVLVM VI.

In præsentia.

PARAPHRASIS.

Titius Caio possessori Abbatiae litem intentaui, dicens eam ad se pertinere. Causa delata fuit ad Sedem Apostolicam: Pontifex eam commisit Episcopo Dulmensi, & quibusdam alijs; Illi pro possessore contra actorem Titium iudicauerunt. Sed is contendeat sententiam esse nullam; quia lata sit contra liquidam probationem iuris sibi competentis; cum tamen possessor parum vel nihil probauerit. Ad hoc respondet Clemens III. scribens ipsi Caio possessori Abbatiae, quod Iudex interdum non attendat ad vnam vel alteram probationis speciem; sed ex confessionibus partium, testium depositionibus, alijsque publicis allegationibus formet animi sui iudicium, atque ita sententiam pronuntiet: tantamque esse iudicialis sententiae auctoritatem, ut semper pro eius iustitia praesumi debeat, donec contrarium legitime probetur. Quamobrem tametsi Caius possessor coram Iudicibus delegatis nihil omnino probasset, tamen standum esset sententiae Iudicum, nisi Adversarius ostenderet, eam rescindendam

esse. Verumtamen, cum etiam constet ex quibusdam Episcoporum literis, eiuque propria confessione, quod iuri, si quod ei ad Abbatiam competeret, sponte renuntiaret, ideo Pontifex ei super eadem Abbatia silentium imponit.

SUMMARIVM.

1. Iudex non tenetur sententiam ferre secundum quamcunque probationis speciem, attendere autem debet ad omnia ea, quae in iudicium producuntur, ad allegationes, probationes, confessiones partium, & c.
2. Praesumptio est pro iudicis sententiam esse iustam, & legitime latam.
3. Non tamen hac praesumptio est semper iuris & de iure, ita ut probatio in contrarium non admittatur.

NOTANDVM I. Iudex non tenetur sententiam ferre secundum quamcunque probationis speciem, quia quid iurum cuique probationi insit, prudentis Iudicis arbitrio committitur, l. 3. §. Eiusdem quoque, ff. de testibus. Sed Iudex ad omnia attendere debet, quae in iudicium produuntur, ad allegationes, probationes, confessiones partium, testium qualitates, ac depositiones, denique quid iuri aut receptae consuetudini conueniat, ut id in medium producat; atque ex his denique sententiam format, quae iusta ipsi videtur.

NOTANDVM II. Praesumptio est pro Iudicis sententia, eam iustam, seu legitime latam esse. Ita etiam habetur in c. bonae, 21. de elect. c. sicut, 16. in fine, de testibus; Et in reg. 207. ff. dicitur, quod res iudicata pro veritate accipitur. Ratio fami debet partium ex auctoritate Iudicis, publicum officium gerentis, uti colligitur ex cit. c. sicut: partim ex partium quodam consensu, quae per litis contestationem sententiae Iudicis se submittere censentur. Quare idem etiam dicendum de sententia arbitri, praesumptionem esse pro iustitia eius, donec contrarium appareat, sicuti hic notat Anton. de Butrio, addit. Ioann. Andr. lit. a.

Sed limitari debet primò: Nisi dubitetur de iurisdictione ac potestate Iudicis: Quod intellige de eo, qui inferiorem ac limitatam iurisdictionem habet; sicuti & de eo, qui delegatam, iuxta c. cum in iure, § 1 de off. delegati ubi dicitur, quòd non credatur aliquis esse delegatus, nisi delegationem suam ostendat. Quia simili ratione docet Bartolus in l. si fortè, ff. de castrensi peculio. Quòd non credatur simplici ac non probatae assertioni Prælati, quòd donatione faciat propter præcedentia merita: aut si asserat, se res ecclesiæ alienare præcedente tractatu cum Capitulo; quia sic qualitates ad substantiale fundamentum actus pertinent, quod imprimis adstrui seu probari debent, si partes litigantes, cum præsentibus sint, veruntamen non contradicant, sed tacite in Iudicem consentiant, valebunt acta eius; dummodò talis causa sit, ut partes Iudicis iurisdictionem prorogare seu extendere possint, ut docet Felinus in c. ecclesia, n. 21. de Constitut. Menoch. de arbit. Iudicium qq. q. 76. n. 11.

Limitatur secundò: Nisi à sententiâ appellatum sit; præsertim postquam appellatio recepta fuit: tum cessat præsumptio pro lata sententiâ; cum de eius iustitia cognoscendum sit, uti hic docet Innocentius n. 1. Ioann. de Anania, n. 25. in fine, Guilielm. Durandus in speculo iuris, lib. 2. p. 3. de sententiâ, §. 6. n. 11.

Limitatur tertio: Nisi contrarium ostendatur, quòd videl. Iudex iniquam sententiam tulerit, seu contra acta & adducta in iudicio, siue contra leges publicas, ac receptas. Ita hic, & in c. quoniam, 11. de probat.

Sed QUÆRITUR hoc loco, utrum præsumptio pro iustitia late à Iudice sententiæ, sit iuris ac de iure, ita ut non admittatur probatio in contrarium. Respondeo cum Guilhelmo Durando cit. n. 11. Anania hic n. 32. Vel obijcitur, aliquid contra processum iuris, aut acta substantialia iudicij, v. g. Reum non fuisse citatum, nec præsentem, litem non fuisse contestatam, iuxta c. vn. de litis contestat. hoc casu admittitur probatio contra Iudicem. Quamobrem in c. quoniam,

n. 11. de probat. præcipitur Iudici, vtracumque iudicij à Notario, aut duobus viris idoneis scribi curet; alioquin fidem ei non habendam super processu iudicij, nisi quatenus legitimis constiterit documentis. Vel obijcitur, contra leges seu iura publica sententiam latam esse: tunc non auditur obijciens, nisi iniustitia sententiæ manifesta sit, cit. c. 1. c. inter cæteras, §. de sent. & re iudicata, c. pastoralis, §. verum, eod. tit. Item si Iudex in pronuntiando, seu ferenda sententiâ, causam, ex qua sola motus fuerit, afferat falsam, & quæ sit contra leges: qua de re Gl. in cit. c. inter cæteras, Innoc. hic n. 2. Anania n. 41. & sumitur ex l. qui testamento, ff. de excusat. tutorum. Vide, quod tradit Menochius de arbitrar. qq. q. 339. quòd Iudex imperite iudicans litem suam faciat, quia parti læsæ damnum resarcire tenetur, in quantum id facere potest.

CAPITVLVM VII.

Sanè.

PARAPHRASIS.

Cælestinus III. Legato à Latere mandauit, ut Henricum Subdiaconum in Pictauiensi ecclesia institui curaret: Ille obtemperans mandato Apostolico eundem in dicta ecclesia Canonicum instituit. Sed Canonici obstiterant, eundem Henricum recipere recusantes, Et cum is nihil contra Canonicos proficeret, tandem consilio quorundam ex Canonicis inductus, literas suas Capitulo reddens, misericordiam eius se subiecit. Sed à quibus misericordiam impetrare debuerat, ab ijs dispendium tulit: quia (ut arbitror) Canonici allegarunt, eum renuntiasse iuri suo, ideòque exclusum esse debere. Sed Pontifex Cælestinus, nolens imperfectum manere, quod ipse & Antecessores eius de Henrico in Canonicum instituendo decreuerunt, mandat Capitulo, ut ipsum in fratrem & Canonicum admittant.

M m m 3

SVM-

S Y M M A R I V M.

Beneficiarius reddendo literas beneficiales Canonice, usq; renunciando, non undequaque valide beneficio renunciat, cum resignationes beneficiorum fieri debeant coram Superiore.

Vnde ex equitate Pontifex talem renunciationem hic non admisit, nec ratam habuit.

Contra responsionem Cælestini obijcit Gl. ver. reddens: Henricus reddendo literas renuntiavit iuri suo: Ergo spectata iustitiæ lege, admittendus iterum non erat ad canonicatum; sed solum ex misericordia & gratia, ad quam faciendam nemo obligatur: quia quod ex debito fit, non est gratia. Antecedens probatur, ex e. cum pridem, de pactis, vbi Clericus quidam liti beneficii tradendo authentica instrumenta: Ex l. 1. C. de donationibus, vbi dicitur, quod traditione instrumentorum, quibus emptio mancipiorum retinetur, ipsa mancipia donata & tradita intelligantur, ita vt donatario dominium eorum acquiratur: Ex l. qui chirographum, 59. delegatis 3. vbi dicitur, quod legans alicui chirographum seu instrumentum, quo actiones debitorum continentur, ipsas actiones seu debita, non meras tabulas seu membranas legasse censeatur. Ex l. 2. C. Quæ res pignori obligari possunt, vbi respondetur, quod alicui in pignus dans instrumenta, quibus emptiones agrorum suorum continentur, ipsos agros obligare censeatur. Ex l. 2. ff. de pactis, vbi habetur, quod reddens debitori cautionem, seu instrumentum, quo de debito reddendo cauetur, ipsum debitum remittere censeatur. At verò reddens pignus, non ideo debitum condonare præsumatur, l. post pignus, ff. eod. Quia, vt Gl. ibi ait, redditio pignoris aliam utilitatem habere potest, quam debiti condonationem: quandoquidem id frequens est, vt pignore vti volens, id cupiam mihi à creditore concedi, salva confessione debiti, vt constat ex l. certè, 6. §. quæsitum, ff. de precario: Cum itaque renuntiatio strictæ inter-

pretationis esse debeat, non est absque necessitate extendenda. Quia non præsumitur facile aliquis iactare, quod suum est, c. quod super, hoc tit. & l. cum de indebito ff. de probat.

Ad hanc difficultatem varias responsiones dant Doctores, vt videre est apud Gl. hic ver. sustinere, Ioann. Andr. Ananiam, Anton. de Butrio & alios, Abb. in c. ecclesia, 4. n. 10. & seq. vt lite pendente &c. Prima, eaque ferme communis, Henricum non renuntiasse iuri suo, tamen si literas tradiderit. Quia ius Canonicatus ipse consecutus non erat ex literis Papalibus, quibus eum in Canonicum institui mandauerat, sed ex institutione facta à Legato: Quam discrimen est inter traditionem harum literarum, & traditionem instrumentorum, quibus ius rei emptæ, vel ius debiti, actionesque continentur. Verum hæc responsio difficultates patitur: Prima: Quia in textu non dicitur, Henricum literas Papales Capitulo tradidisse, sed redditis literis suis, (vsq; vt opinari licet, quibus ius institutionis sue ad Canonicatum continebatur) misericordiam Capitularium se subiecisse. Secundo: Quia hæc subiectio, & petitio gratiæ satis significat, Henricum iuri suo renuntiare voluisse: cum gratiæ seu misericordię locus non sit, vbi iustitiæ debitum manet. Tertiò: Quia redditio literarum aliam utilitatem aut finem habere non potuit, nisi renunciationis.

Alteræ responsio: Quod Henrici renuntiatio à Pontifice rescissa fuerit, propter deceptionem ac dolum Capituli: Ipsi enim fraude eum induxerant ad redditionem literarum, & misericordię implorationem: At qui ex consilio, si fraudulentum sit, quilibet obligatur, l. quod si, 6. ff. de dolo, & reg. 6. n. 6. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non sit, obligatur. Hęc responsio difficultatem habet: cum enim non Capitulum, sed aliqui tantum ex Capitularibus consilium illud dederint, constat, contra ipsum Capitulum actionem de dolo, ad rescissionem renuntiationis ipsi factæ, institui haud posse. Nisi dipinando dicere velimus, in Capitulari Conuentu decretum

uisse, vt tale Henrico consilium fraudulen-
tum suggereretur, eiusq; rei executores a-
liquos e Canoniciis statutos fuisse.

Tertia responsio: Renuntiationem Ca-
nonicatus factam Canonicis per traditio-
nem literarum validam fuisse: Nihilominus
Henrico subuentum fuisse Iudicis officio
propter æquitatem. Hæc responsio supponit,
quod Capitulum speciali iure aut pri-
uilegio potuerit Canonicatum resignatio-
nes recipere. Quo supposito, vera est re-
sponsio: Et consistit æquitatis ratio in eo,
quod non fuerit renuntiatio omnino spon-
te, sed ad redimendam vexationem facta.
Cum enim Henricus à Canonicis se impe-
traturum non speraret, vt eum secundum
Pontificis mandatum, & Legati institutione
de iure admitterent, sperauit se facta iuris
sui renuntiatione, per gratiam ipsorum ad-
missum iri. Cum autem renuntiatio, quip-
pe donationis species quædam, suapte na-
tura exigat, vt spontanea & liberalis sit, ideo
facile per Iudicis officium succurritur, qualé-
cunq; etiam non grauem metum passo. Vide
quæ dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 6. assert. 3.

Alia æquitatis ratio erat: Quia Capitulum
debebat exequi mandatum Apostolicum
suscipiendo Henricum: ergo non extra cul-
pam fuit accipiendum renuntiationem eius nõ
omnino voluntariam. Cum autem æquum
non sit, vt Capitulum ex propria culpa com-
modum reportet, ideo tum ob hanc cau-
sam, tum ad defendendam Apostolicæ Sedis
authoritatem renuntiatio rescissa fuit, si-
ue ea non obstante, Henricus in Canoni-
cum institui debuit.

Quarta responsio. Quod renuntiatio non
vndeque valida fuerit, quia facta erat
eorum Canonicis tantum, non autem coram
Superiore, cuius est resignationes recipere,
iuxta c. admonet, 4. hoc tit. Quapropter
æquitas non permisit, vt Pontifex dictam
renuntiationem non canonicè factam
admitteret, seu ratam haberet; partim quia
non sponte facta erat, sed ob præcedentem
iniultam vexationem, iuxta c. super hoc, 5.
eod. tit. partim quia necesse erat ad Apostoli-
cæ Sedis auctoritatem tuendam, vt prouisio

eius mandato inchoata perficeretur, seu ple-
næ executioni traderetur, per susceptio-
nem Canonorum, & quietæ possessionis
traditionem.

CAPITVLVM VIII.

Quòd in dubiis.

SUMMARIVM.

1. Renuntiatio beneficii facta in manibus
laici: irrita est, renuncians tamen be-
neficio spoliandus est.
2. Renuntiatio facta in manibus Clerici,
cui potestas recipiendi eam non compe-
tit: valida est quoad ipsum renuncian-
tem, non autem quoad Ecclesiam, vel
Superiorem.
*Potest tamen ita renuncians penitere, &
per penitentiam renuntiationem reuo-
care; si suam Superior auctoritatem
nondum interposuit, & res integra sit.*
3. Beneficiatus renuncians in manu laici,
citari & per sententiam priuari debet:
si autem resignauit in manu clerici, &
resignationem non reuocauit, Superior
beneficium alteri conferre non prohibe-
tur: consultum tamen est renunciantem
citari.
4. Etsi renuncians in manu clerici, ante-
quam Superior renuntiationem ratam
habet, proprietatem seu ius beneficii nõ
amittat, amittit tamen possessionem.

SI quis beneficium ecclesiasticum in ma-
nibus laici resignauerit, tamen si iterum
susceperit, irrita est renuntiatio; sed renun-
tians beneficio priuandus est.

Circa textum huius c. aduerte primò:
Quod dicitur sponte: quia si ob metum re-
signauit, succurritur ei, vt beneficium retine-
re possit, iuxta c. ad audientiam, 4. de ijs,
quæ vi & c. Aduerte secundò: Quod dicitur
renunciantem priuandum esse: videl. per Iu-
dicis sententiam, vti rectè hic docet Antori-
de Butrio n. 8. Quia si ipso iure priuatus ef-
set renuncians, tunc videretur renuntiatio in
manibus

manibus laici facta aliquem effectum consecuta: quod inconueniens reputari debet.

2 Sed quid? Si renuntiatio beneficii fiat in manibus Clerici, cui accipiendi resignationem potestas non competit? Tum communiter respondent Doctores, quos refert Garcias de beneficijs p. 11. c. 3. n. 219. & seqq. renuntiationem validam esse, quoad ipsam renuntiantem; non autem quoad Ecclesiam, seu Superiorem. Sensus esse debet: Quod in arbitrio Superioris positum sit, vtrum renuntiationem ratam habere velit, & renuntiantem cogere, vt beneficium dimittat; dummodo renuntiatio sponte facta fuerit, vti habetur in c. super hoc, 5. eod. tit. Ita cum Gloss. hic ver. in manu, docet Innocent. n. 1. Anton. n. 8. & alij, quos citauit lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 17. n. 4. §. Porro. Dicit tamen Gregor. Tholosanus de benef. c. 31. n. 11. Vincentius apud Anton. de Butrio hic n. 8. Garcias n. 227. quod antequam Superior suam auctoritatem interposuit, ideoque dum res integra est, renuntians per poenitentiam reuocare possit renuntiationem factam in manu Clerici, cui tale ius non competeat: eod quod renuntiatio effectum omnino consecuta non sit, argum. l. 3. & 5. ff. de cess. bonor. Sin autem in manu laici renuntiatio facta fuerit, non obstante, quod reuocauerit renuntians beneficium, à Superiore priuari potest, vti ex hoc c. colligitur: Quamuis aliqui considerantes verba textus, arbitrentur, huic poenae locum non esse, nisi renuntians ab eodem laico beneficium de nouo suscepit.

QVÆRITVR: Vtrum Superior cognita renuntiatione facta in manum alterius, beneficium alteri conferre possit, etiam non vocato eo, qui renuntiauit.

3 Respondeo & Dico I. Si beneficiatus renuntiauit in manum laici, citari, & per sententiam priuari debet, antequam beneficium alteri conferatur. Ita colligitur ex hoc c.

Dico II. Si beneficiatus resignauit in manum Clerici, neque resignationem reuocauit, Superior beneficium alteri conferre non prohibetur: propterea quod resignatio, quantum est ex parte resignantis, valida sit,

ac proinde ad plenum effectum renuntiationis duntaxat necessarium est, vt Superior verbis, seu facto ipso declaret, quod renuntiationem admittere, seu ratam habere velit, vti docet Ananias hic, n. 11. Consultum tamen est, renuntiantem citari, vt appareat, num renuntiatio sponte facta sit, an verbò ob metum, item, num simoniaca pactio interuenit: quia etiam hoc casu renuntiatio omnino irrita est, licet renuntians per sententiam contra Reum citatum latam beneficio priuari queat, vti dixi in c. admonet, 4. hoc tit.

DICES: Esto, quod renuntians in manu Clerici, priusquam Superior renuntiationem ratam habet, proprietatem seu ius beneficii non amittat, ideoque vacare nondum censetur, vtrum saltem possessionem amittat. Responso est affirmatiua, cum Innoc. hic n. 1. Abb. n. 8. & alijs communiter. Quamobrem ait Garcias, p. 11. c. 3. n. 237. quod renuntians contra eum, cui renuntiauit, non possit agere de spolio, nisi ostenderit se possessioni beneficii incubuisse, & ita spoliatum fuisse.

CAPITVLVM IX.

Ad Supplicationem.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Ragusiensis impetrauit ab Innoc. III. cessionem, ac liberationem ab ecclesia: eod quod sine vitæ suæ periculo (forasse propter insidias) accedere aut commorari ibi non posset. Verum ne idem Archiepiscopus, cum opprobrio ministerij atque dignitatis Archiepiscopalis, rerum temporalium subsidijs destitueretur, approbat & confirmat Pontifex, quod dicto Ragusiensi, cum consensu Regis Angliæ, Archiepiscopus Eboracensis beneficium in Episcopatu Carleoli contulerit. Addit Innocentius, se renuntianti concessisse, vt in eodem Episcopatu Carleoli officium Archiepiscopale, excepto pallij vsu, exercere possit; Archiepiscopo Eboracensi, tanquam Metropolitano suo subiectus.

SUMMARIUM.

1. Clerici, maxime Sacerdotes & Episcopi, ab ecclesia ali debent, præterquam contumaciter in crimine perseverantes, ut omnis subsidij denegationem, & ipsam excommunicationem mereantur.
2. Episcopatu renuncians potest aliud, etiam minoris dignitatis beneficium, v.g. parochiam consequi.
3. Neque in hoc casu Episcopus de dignitate sua descendit, cum idem homo diuersis iuribus censeatur.

NOTANDUM I. Postquam Ecclesia ex fidelium oblationibus, ac pijs fundationibus sufficientes redditus accipit ad ecclesiasticorum Ministrorum sustentationem, in opprobrium cedit ecclesiastici ordinis, si Clerici, præsertim Sacerdotes atque Episcopi, necessarijs ad honestam vitæ sustentationem destituantur. Quare Ecclesia eos alere debet, spectato cuiusque statu ac dignitate: idque adeò, ut etiam ob crimen à beneficijs suspensus, aut depositus, tamen ab ecclesia ali debeat, ne cum opprobrio cleri mendicare cogatur; præterquam si in crimine contumaciter perseveret, ut omnis subsidij denegationem, ipsamque excommunicationem mereatur, secundum Gl. in c. pudeat, 39. ver. & sui, d. 50. & dixi lib. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 3.

NOTANDUM II. Qui Episcopatu renuntiauit, potest deinde aliud, etiam minoris dignitatis, beneficium v.g. Parochiam consequi. Multò magis Episcopus factus Religiosus, in Abbatem assumi potest, uti hic Ananias notat, n. 9. Anton. de Butrion. 6. cum Gl. c. hoc nequaquam, 45. causa 7. q. 1.

Sed obitare videtur, quòd secundum iura non liceat in dignitatibus descendere, iuxta l. 2. c. Quemadmodum ciuilia munera indicantur, lib. 10. *Maiores honoribus functos, ad minores deuocari non oportet, rationis est.*

Respondeo primò; Excipiendam esse necessitatem, si alij tam idonei non reperiantur, secundum Gl. in cit. l. 2. & sumitur ex l. honor, 14. prope finem, ff. de muneribus & honoribus.

Respondeo secundò; Tametsi decens non sit, neque facilè permittendum, ut à maiore dignitate v.g. Archiepiscopali aliquis transferatur ad minorem, puta Episcopalem. uti colligitur ex c. de translac. Episcopi; postquam tamen renuntiauit Archiepiscopatu, desinit esse Archiepiscopus, sed retinet dignitatem episcopalem; ita ut insignibus episcopalibus ex Pontificia concessione uti possit; licet ordines conferre nequeat: cum subditos non habeat, ut infra hoc lib. dicitur tit. de ordinatis ab eo, qui Episcopatu renuntiauit. Quare apparet, nihil obstare, quò minus is, qui Archiepiscopatu renuntiauit, in alterius ecclesiæ Episcopum eligatur; cum non descendat: præterquam, quòd hic utilitatis ecclesiæ ratio quoque habenda sit, si is qui Archiepiscopatu renuntiauit, ad Cathedralis alterius ecclesiæ regimen utilis esse videatur.

Sed qua ratione beneficium minus, v.g. Canonicatum, vel parochiam consequi potest, ita ut non descendere censeatur? Facilè id dicitur: cum Archiepiscopus, vel Episcopus, tametsi non renuntiet, ex Papæ dispensatione propter reddituum Episcopatum tenuitatem, talia beneficia retinere, vel de nouo accipere possit. Neque verò tunc, si Episcopus v.g. parochiam consequatur, de dignitate sua descendere censetur: cum idem homo diuersis iuribus censeatur, uti colligitur ex c. postulatis, 15. de concess. præbendæ, & c. cum capella 16. de priuileg. Exempli causa fieri potest, ut Episcopus in alia ecclesia sit Præpositus, Canonicus, aut Parochus: quo casu, ut Canonicus v.g. locum suum inter Canonicos retinere, & respectiue Episcopo illi, in cuius diocesi beneficium obtinet, subiectionem & obedientiam debet, uti hic ex communi Butrio respondet n. 7. Sic itaque dico, quòd Episcopus, qui Episcopatu renuntiauit, honorem ac dignitatem Episcopalem retineat, tametsi postea Canonicus, vel alicuius ecclesiæ Parochus fiat: cum accessus minoris honoris aut beneficii ad maiorem dignitatem eam non destruat, nec minuat: cum diuersa quidem, sed non repugnantia iura sint. Quin & eadem ratione fieri

N n n solet,

folet, vt Rex aliquis seu Monarcha, prouinciam iure feudi alteri Regi obnoxiam accipiat, eoque respectu feudatarius fiat alterius Regis, adeoque subditus eius ratione territorij, licet, absolute loquendo, parus, vel fortè maioris dignitatis existat.

CAPITVLVM X.

Nisi cum pridem.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Calaritanus magnà instantiâ petijt ab Innocent. III. licentiam renuntiandi Archiepiscopatu, vt sepositis curis, salutis suæ ac vitæ meliori in solitudine vacare posset. Ad id respondet Innocentius, quod se Jeremiâ sanctiorem æstimare non debeat, qui licet ob humilitatem refugerit prædicationis officium, Ierem. c. 1. tamen volente ac iubente Deo suscepit, ac studiose adimpleuit. Quare non veræ humilitatis desiderio Archiepiscopum moueri videtur: quin potiùs sub prætextu humilitatis malè erigere verticem, quando in resignandi proposito pertinacem se ostendit. Etenim vera humilitas sicuti hominem adigit, vt honores non quærat, sed, quatenus ipsi concessum est, fugiat, ita etiam persuadet, vt oblatos per obedientiam sufferat, & se pertinaciter liberare non intendat.

SUMMARIVM.

1. Episcopi officium præcipuum est, & populum sibi commissum docere, seu verbum Dei prædicare per se, vel saltem, si ipse ob iustas causas non possit, per alium.
2. Non est causa sufficiens deserendi Episcopatum, vt propria salutis quis melius vacare possit, etiam religione suscepta.
3. Si Episcopus relicto Episcopatu, absque licentia Pape religionem profiteatur, irrita est professio.
4. Votum Episcopi, qui adhuc ecclesie suæ utilis est, de ingredienda religione, irritum est.

5. Enumerantur sex causæ, ob quas Episcopo licentia renuntiandi concedi possit. Prima est conscientia criminis, propter quod officij executio etiam post peractam penitentiam impediatur.
6. Secunda causa est corporis debilitas, quæ Episcopum impotentem reddit ad exequendum officium pastorale.
7. Tertia est defectus scientiæ, quæ sufficiens esse debet, licet in Episcopo eminens desideretur.
8. Quarta est malitia plebis obedientiam negantis, aut insidias parantis.
9. Quinta est graue scandalum populi, quod ex Episcopi, aut alterius Prælati præsentia patitur.
10. Sexta, Irregularitas personæ, in qua Papa dispensare non solet, vt si forte sit bigamus, vel vidua maritus.

NOTANDVM I. Officium præcipuum Episcopi est populum sibi commissum docere, seu verbum Dei prædicare. Si tamen ob multas alias occupationes, aliæque causas eo munere ipsemet fungi non possit, permittitur, vt alios idoneos prædicatores substituat.

NOTANDVM II. Non est causa sufficiens Episcopatum deserendi, vt propriæ salutis quis melius vacare possit, etiam Religione suscepta. Ita docet S. Th. communiter receptus in 2. 2. q. 185. a. 5. ad 1. Ratio est: Nam Episcopo, qui se susceptione Episcopatus obligauit ad suam, & subditorum salutem procurandam, melius est, vt in eo statu perseueret, quamdiu ecclesie, cui se obligauit, utilis esse potest. Sin autem utilis esse destitit, tunc melius ipsi est, vt relicta & alteri tradita curâ subditorum, totum se propriæ salutis promouendæ impendat.

Exinde infer Valentinus to. 3. disp. 10. q. 1. p. 4. ver. Ex quo sequitur, irritam esse professionem Religionis, factam ab Episcopo, nullâ aliâ causâ cogente, nisi vt priuatis commodis vacet in Religione. Sed id verum non iudico, si Sum. Pontificis licentia accesserit. Licet enim Pontifex malè faciat, tali casu cessionem concedendo, ea tamen valida est, vt colliguntur.

colligitur ex ijs, quæ dixi in t. de translat. Episcopi, & tradit Suarez to. 3. de relig. lib. 1. c. 20. n. 7. Sin autem Episcopus de facto Episcopatu absque licentia Papæ Religionem profiteatur, irrita est professio. Quia Deus non acceptat professionem Religionis, si ecclesia repugnet: Atqui ecclesia repugnat, ut Episcopus gregem suum, cui se obligauit, deserat, nisi à Sum. Pontifice liberationem impetrarit.

¶ Sed quæstio est, vtrum valeat votum Religionis ingrediendæ editum ab Episcopo? Negat absolute Hostiensis in sum. tit. de voto, & voti redempt. §. Quis vouere possit, Richard. in 4. d. 3. a. 4. q. 2. Tabiena ver. votum, 5. q. 1. n. 2. & alij apud Suarez to. 1. de relig. lib. 3. de voto, c. 4. n. 8. Sed Syl. ver. votum, 3. q. 1. Azor to. 1. lib. 11. c. 16. q. 2. Sanchez to. 1. de relig. lib. 4. c. 25. n. 26. Suarez loc. cit. aiunt, votum hoc Episcopi non esse omnino irritum; quia obligat eum ad petendam licentiam à Pontifice, quæ denegata liber erit à voto.

Respondeo ad q. Si Episcopus, qui ecclesiæ suæ adhuc utilis est, Religionis ingressum voueat, ut propriæ salutis melius vacare possit, eius votum omnino irritum est. Primò: Quia votum esse debet de bono meliore, & quod Deo gratum sit: Sed Religionis susceptio est opus minus bonum, quam sit officium Episcopale in eo, qui suscepto Episcopatu ecclesiæ se obligauit, quamdiu obligationi satisfacere, seu ecclesiæ utilis esse potest. Ita expressè docet S. Th. cit. a. 5. vbi ait, quòd Episcopus, qui ecclesiæ adhuc utilis est, retrocederet, seu descenderet à perfectione, si Religionem ingredi vellet: Idemque docet Sorus lib. 19. de iust. q. 2. a. 4. Valenzia cit. p. 4. Secundò: Quia frustra peteret licentiam talis Episcopus, quàm Pontifex non concederet, imò secundum canones concedere non posset, nisi aliud adsit impedimentum, ob quòd Episcopatum deserere consultum sit, vti patebit seq. §. huius c.

Obijctur c. pertuas, 10. de voto, vbi is, qui Religionis susceptionem vouerat, & postea, non impleto voto, Episcopatum suscepit, voti transgressor dicitur, eiq. que consu-

litur, ut resignato Episcopatu, Domino reddat promissum: Exinde enim inferitur, statum Episcopalem non esse perfectiorem, melioremq. quam statum Religionis, alioquin votum Religionis suscipiendæ commutari posset in susceptionem Episcopatus: quia *promissum non infringit, qui se melius commutat*, c. 3. de iureiur. Facilis est responsio: Antequam aliquis munus Episcopale suscipit, valere votum Religionis ingrediendæ: Atque huic homini melius esse, Deòq. gratius, ut votum suum impleat. Quia status Episcopalis perfectus est, imò perfectissimus, non quia ad perfectionem multum conferat, sicut status religiosus, sed quia perfectionem supponit, ac requirit in suscipiente, ac retinente Episcopatum, vti etiam significat Trident. Concil. sess. 6. c. 1. de reformat. At verò status Religionis non postulat aliquem perfectum esse, sed ut ad perfectionem consequendam per media in Religionem præscripta tendat, Quamobrem melius Deòque gratius opus facit, qui, excepta necessitate, munus Episcopale refugit, ut Religionem suscipere, & in ea se perficere possit. At verò postquam aliquis Episcopalem statum, obligationemque suscepit, incapax factus est Religionem ingrediendi, nisi à Sum. Pontifice ecclesiæ suæ liberatus sit, propter impedimentum aliquod satisfaciendi officio Episcopali, ut statim dicam. Legi potest Suarez to. 3. de relig. lib. 1. c. 19. & 20. & quæ dicentur in cit. c. per tuas.

§. Intueri.

SEX causæ sunt, ob quas Episcopo renuntians licentia concedi possit. Prima est, Conscientia criminis, propter quod officij executio etiam post peractam poenitentiam impeditur.

¶ **QVÆRES:** Quænam sint ista crimina? Respondeo; In primis ea, quæ titulum Episcopatus inualidum reddiderunt: v. g. si simoniacè electus, vel institutus fuit, iuxta ea quæ dixi c. innotuit, n. 10. de elect. Tunc distingue, cum Anton. de Butrio, & Anania hinc n. 12. Velenim crimen, ac defectus tituli notorius est, tunc cedere potest, etiam non requi-

fità licentiã Papæ: Vel est occultus defectus, tunc ad vitandum scandalum renuntiare debet in manibus Papæ, vel tituli revalidationem ab eodem impetrare. Cæterum, si aliquis in excommunicatione, suspensione, vel irregularitate occulta institutus fuit, sublato impedimento per eum, qui potestate absolventi, aut dispensandi præditus est, eo ipso titulum validari, tanquam probabile docui lib. 4. Theol. moral. tr. 2. c. 15. n. 2. & supra de elect. c. super eo, 12. n. 3. §. Deinde.

Secundò: Si Episcopus post canonicam institutionem, ob crimen v.g. Sodomix iuxta Pij V. Constit. incurrat pœnam depositionis, aut suspensionis in perpetuum sine spe relaxationis, tunc iusta causa adest cessionem à Pontifice impetrandi. Si tamen crimen occultum sit, ideòque infamiam annexam non habeat, proprius Episcopi Confessarius absolvere eum poterit, propter Trident. confessionem sels. 24. c. 6. de reformat. Quòd Episcopi dispensare possint in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus provenientibus ex delicto occulto. Vbi Cardinalium declaratio adiungitur: *Episcopo in aliquo dale delictum prolapsò, licet ad se absolventium proprium Confessarium deputare, cum eadem auctoritate, quam ipse potest ex eodem hoc cap. in sibi subditos exercere.*

Tertiò: Si Episcopus crimen incurrat, cui ipso iure infamia annexa est, v.g. Si Romanæ Ecclesiæ Cardinalem hostiliter persecutus est, c. felix, de pœnis, in 6. Loquor autem de infamia iuris, id est, quæ ipsa lege, vel Iudicis sententiã ob crimen inflicta. Alia autem est infamia facti, quæ incurritur ob quodlibet crimen mortale, per quod hominis existimatio, spectata conditione personæ, graviter læditur apud viros prudentes. Et hæc infamia per pœnitentiam ac publicam vitæ emendationem tolli potest: Quare non deijcit hominem à dignitate acquisita, ante Iudicis sententiam, & depositionem. Quare de re dixi lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 5.

S. Alia.

Altera causa, ob quam Episcopo licentia renuntiandi concedi potest, est corpo-

ris debilitas, seu ea ex infirmitate, seu ex senectute proveniat: dummodò tanta sit, ut impotentem reddat ad exequendum officium pastorale. Videri de hac re possunt testimonia ex S. Gregor. I. congesta à Gratiano causa 7. q. 1. c. 1. 3. & 4. quibus habetur, quòd Episcopus ob infirmitatem deponendus non sit, sed Vicarij & Coadiutores adsciscendi, qui ex redditibus Episcopatus alantur. Imò tametsi morbus incurabilis sit, tamen ad renuntiationem cogi non posse, colligitur ex c. parte, 5. de clerico ægrot. Si tamen ob morbum parva ex ipso utilitas in Ecclesiam redundet, tum eius voluntaria cessio admitti potest, assignata ipsi congrua pensio ex Episcopalis redditibus, ad vitam suam, ut Sotus docet cit. loc. Valentia cit. p. 4. §. Quocirca. Atque idem fermè locum habet in alijs Prælati ecclesiarum: Parochis verò ob eandem causam senij vel infirmitatis diuturnæ, propter quam ecclesiæ regendæ minus vitales videantur, citius iudici potest renuntiandi præceptum, assignata illis pensione, aut alio beneficio, ex quo se honeste alere possint, arg. c. tua, 4. de clerico ægrot. Et de ea re dixi lib. 4. tract. 2. cap. 17. num. 2. print. & n. 3. in fine.

§. Pro defectu.

Hæc est tertia causa cessionis: si Episcopus scientiã careat: Ea enim tum ad spiritualium administrationem, tum ad temporalium curam Prælatonecessaria est. Tametsi verò scientia eminens desideranda sit, sufficit tamen scientia competens: quia imperfectum scientiæ supplere potest perfectio charitatis: siquidem Apostolus ait 1. ad Corinth. 8. quòd *scientia inflat, charitas autem edificat.* Vide quæ dixi in c. qualiter, 17. de elect. & c. innotuit, 20. eod. tit. Non esse irritam electionem aut institutionem Episcopi, qui sufficienter doctus est, modò non omnino illiteratus sit: neque talem obligari ad resignandum, si spes sit, quòd non longo tempore sufficientem scientiam comparare queat.

§. Propter malitiam.

8 *H*ec est quarta causa, videl. plebis malitia Episcopo obedientiam negantis, aut insidias parantis. Non tamen ob quamlibet culpam, aut inobedientiam plebis, pastor eam deserere debet; sed si ita pertinaciter pastori se opponat, ab eoque abhorreat, ut ad maius malum vitandum, ne forte in lupos conuertantur, id est, à vera Religione, vel Ecclesie unitate omnino deficient, tali casu ipsis quandoque ad tempus cedendum, & cum Superioris licentia pastor amouendus est. Idque etiam de Parochis, aliisque animarum pastoribus dici debet, quod interdum amouendi, seu transferendi sunt, si plebs, aut subditi adeo ipsis, quamuis culpabiliter contradicant, aut ab eis abhorreant, ut spes reconciliationis non sit. Vide *Amamiam* super hoc §.

§. Pro graui.

9 *Q*uinta causa est, graue scandalum populi, quod ex Episcopi, aut alterius Prælati præsentia patiuntur. Quamuis distinguendum sit inter scandalum Pharisaicum, seu ex malitia profectum, & scandalum pusillorum, seu ex ignorantia aut infirmitate ortum. Nam ob hoc scandalum sedandum frequentius cedendum est iure, quod aliquis habet. Sed Pharisaicum minus plerumque curandum est: nisi cum pertinaciter malis etiã simplices, aut innocentes inuoluantur, seu ad ruinam trahantur. Exemplum huius habemus in S. Gregor. Nazianzeno, de quo legimus die 9. Maij, quod scandali ac seditiosis sedandæ causa, quæ ob eius bene facta fuerat exorta, sponte cesserit ecclesiam Constantinopolitanam.

§. Personæ verò.

10 *V*ltima causa affertur irregularitas personæ. Distinguendum tamen est, verum sit irregularitas dispensabilis, an verò talis, in qua Papa dispensare non solet: Si indispensabilis, v. g. si bigamus, aut qui viduam uxorem habuerat, Episcopus factus

sit, is renuntiare debet. Sin autem dispensabilis, v. g. natalium defectus, tum, si res occulta sit, non expedit licentiam renuntiandi concedere, sed potius dispensationis gratiam largiri: Quamuis id etiam obseruandum, quod cum spurij, seu ex damnato coitu ortis difficilior fiat dispensatio. Atque simili quoque modo Papa dispensabit cum eo, qui in irregularitate ob homicidium occultum Episcopus creatus sit; non item si defectus publicus, seu notorius sit. Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. p. 5. c. 9. & in c. innouit, 13. de elect.

§. Verùm.

*P*ergit in hoc §. & sequentibus dicere Innocent. si Episcopus nullam ex dictis cedendi causam allegare possit, Episcopale officium ipsi retinendum esse: cum sui iuris, ac libertatis non sit, sed ecclesie suæ in perpetuum obligatus. Neque verò est, quod refugiens labores, ac curas ad vitam contemplatiuam tanquam optatiorem, melioremque aspiret; cum maioris perfectionis sit, eum vita contemplatiua actiuam coniungere, exemplo Moysis, qui modò in montem ascendens gloriam Domini speculatus est; modò in castra descendens populi necessitati prouidit. Quamobrem facilius permittitur, ut Monachus seu contemplatiuus ad præsulatum, videl. Episcopatum ascendat; quàm ut præsul, seu Episcopus ad monachatum descendat.

NOTANDVM Vn. Vita contemplatiua, si cum actiua iungatur, reliquis præstantior est, ut etiam cognoscitur ex vita Christi, & Apostolorum. Vide quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 5. c. 3.

CAPITVLVM XI.

Post translationem.

PARAPHRASIS.

Postquam Episcopus Fauentinus ad Archiepiscopatum Rauennatensem translatus
Non 3 suis,

fuit, Præpositus & Canonici Fauentinae ecclesiae potestate eligendi Episcopum vni suorum Canonicorum commiserunt: Is Ignatium olim Episcopum Sartanensem, tum verò Regularem professum ecclesiae S. Fridiani postulauit: Impetratam autem licentiã à Priore Conuentus, Præpositus & alij Canonici postulationem etiam ab Innocentio III. approbari petierunt. Cùm causam istam examinaret Innocentius, obstare ipsi videbatur canon Concilij Constantinopolitani, in quo cautum reperitur, vt qui ab Episcopatu ad vitam monachalem, ac poenitentiae locum descendisset, iterum ad Episcopalem dignitatem non assurgeret. Aduertit tamen Innocentius, plures casus esse posse, quibus talis reassumptio Monachi ad Episcopatum permissa esset: Videl. Si quis propter persecutiones, aut corporis infirmitatem resignato Episcopatu cum Superioris licentia vitam monasticam suscepisset; eo impedimento cessante reassumi posset. Idemque est, si quis propter scientiae defectum Episcopatum renuntiasset, & postea in Monasterio scientiam nequisitam consecutus esset, iterum canonicè vocatus seu electus ad Cathedram Episcopalem ascendere posset. Præterea si quis simoniaca interueniente prauitate, rei istius ignarus, Episcopatum adeptus fuerit, & re postea cognita, dignitatem dimittens in Religione professionem ediderit, licet ad eundem Episcopatum (saltem pro illa vice, iuxta c. penult. de elect.) eligi non possit, tamen ad alium quin prouehatur, nihil obstat. Ex quibus apparet, prohibitionem canonis illius, ne quis ex Episcopo factus Monachus, iterum ad Episcopalem dignitatem ascendat, non esse vniuersaliter intelligendam: Sed aliqui intellexerunt canonem in eum tantum casum constitutum esse, si quis ob crimen commissum poenitentiae agenda causa, deserto Episcopatu, vitam Monasticam suscepisset, quod iterum assumendus non sit. Alij verò intellexerunt de omnibus ad Religiosam vitam ab Episcopatu

descendentibus; non quod iterum eligi non possint, sed quod ad dignitatem, quam deseruerunt, propria auctoritate recipere nequeant. Sed Pontifex Innocentius priorem intellectum amplecti videtur, ideòque mandat Rauennateni Archiepiscopo, vt causam inquirat, cur Ignatius ille, derelicto Episcopatu, vitam Regularem suscepit, & si comperit, aliam fuisse iustam causam præter criminis conscientiam aut confessionem, tum, si necessitas, vel utilitas postulare videatur, licentiam ei Apostolica auctoritate tribuat ad regimen ecclesiae Fauentinae ascendendi; præsertim si loco tantum ac regimine Ecclesiae Sartanensis cesserat, non item ordine ac dignitate Episcopali: quia hoc casu vehemētissima praesumptio est, illum non ob crimen commissum ad Religionem se contulisse. cùm Sedes Apostolica ipsi nequaquam permisisset, post confessionem suam in Pontificali ordine ministrare. Sin autem intellexerit Archiepiscopus, confessionem illius & Religionis susceptionem propter commissum crimen factam esse, tum iniungat Canonicis, vt ad aliam electionem accedant; cùm durum videatur, contra Concilium Constantinopolitanum ad eò celebre postulationem, admittere.

SYMMARIUM.

1. Episcopus, qui ob crimen Religiosus factus est, iterum ad episcopatum eligi non potest: secus est, si ob aliam causam cum legitima summi Pontificis licentia ad religionem transiit.
2. Contra Canones Concilij Generalis non facile dispensat Pontifex, licet absolute loquendo dispensare possit.

NOTANDUM I. Qui ex Episcopo Religiosus factus est ob crimen, iterum ad Episcopatum eligi non potest: secus, si ob aliam causam cum legitima Superioris, videl. Summi Pontificis auctoritate ad Religionem transiit,

NOTANDVM II. Interdum Episcopus renuntiat loco tantum ac regimine, seruato ordine ac dignitate Episcopali; interdum autem renuntiat non tantum loco ac regimini, sed etiam ordini ac dignitati. Existimo autem, si Episcopus ad Religionem se conferat, presumendum esse, quod utrique renuntiare velit, nisi specialiter obtineat à Pontifice, ut ipsi Pontificalia exercere liceat. At vero si Episcopus renuntians Religionem non ingrediatur, plerumque à Sede Apostolica ipsi permittitur ordinis Episcopalis exercitium ac dignitas: ne aliquin ob crimen depositus videatur. Idque etiam colligitur ex c. ad supplicationem. 9. hoc tit. & videri potest Anton. de Butrio, in c. 1. de ordinatis ab Episcopo, & Hostiensis eod. tit. col. penult.

NOTANDVM III. Contra Canones Concilij generalis non facile dispensat Summus Pontifex; quamuis, absolute loquendo, possit dispensare. Nam quod tam magna auctoritate & consensu Patrum stabilitum fuit, non decet immutare, etæ derogare, nisi causa grauis ita postulet.

Porro tamen Innocentij responsio, ac definitio vera sit; tamen circa allegationem canonis, eiusque explicationem non caret res difficultate. Arbitratus enim est Innocentius (fortasse alicuius Capitularis, aut librarij fidem sine vltiore inquisitione secutus,) canonem illum esse Concilij Constantinopolitani I. sub Damaso Pontifice celebrati, quia ait, Concilium illud, in quo canon iste habetur, esse vnum ex quatuor præcipuis œcumenicis Concilijs, quæ vti sancta Euangelia recipienda esse Patres dixerunt, videl. Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, de quibus dixi lib. 2. Th. mor. tr. 1. c. 2. n. 4. Veruntamen in illo Concilio talis canon non reperitur, vti etiam aduertit Suarez tomo 3. de Relig. lib. 1. c. 20. n. 13.

Adde, quod Gregor. I. lib. 6. epist. 31. testatur, Ecclesiam Romanam canones eius Concilij Constantinopolitani primæ nunquam recepisse, sed solum quod in eo contra Macedonium hæreticum definitum fuit.

At vero in decreto Gratiani super c. hoc nequaquam, causa 17. q. 1. Gregoriana correctio affert canonem Constantinopolitanæ Synodi sub Ioanne VIII. (quæ tamen non est V. Oecumenica, vt Gratianus putauit) in quo canone tale quippiam decretum est; sed, vt legenti patebit, secundum eum intellectum, quem ex quorundam sententia Innoc. hic postremo loco adduxit: Videlicet, permittendum non esse, vt Episcopi, qui quandoque repentino spiritu afflati ad Monasteria, relicto Episcopatu se contulerunt, postquam statum religiosæ humilitatis ac pœnitentiæ amplexi ac professi sunt, iterum suo arbitratu ad Episcopatum reuertuntur. Putarunt enim illi, se eo transitu non renuntiasse Episcopatu, sed sicut & Monachos & Episcopos esse posse, ex loco in locum arbitratu suo aduolantes: quod in ecclesia nunquam concessum, idè quæ ea in Synodo re- ètè prohibitum fuit.

CAPITVLVM XII.

Quidam.

PARAPHRASIS.

Qui licentiam cedendi beneficio à Superiore petierunt, postquam eam obtinuerunt, cedere coguntur. Cum enim in postulatione causam cedendi habuerint, aut etiam proposuerint, videlicet ecclesiæ bonum, aut ipsorum salutem; tamen postea vel suasionibus aliorum, quæ sua sunt, quærentium, vel propria leuitate reuocare velint, audiendi haud sunt.

SUMMARIVM.

1. Dæ sunt potissimum cause cessionis seu renuntiationis: Commodum Ecclesiæ & salus propria renuntiantis.
2. Qui cedendi licentiam petiuit, ex quo illum impetravit, cedere cogitur.
3. Si quis ipso facto per se, vel alium renuntiat beneficio in manibus Superioris, non tenetur reuocationem Superioris admittere.

4. Si

1. *Si autem non ipso facto cedat beneficio, sed petat licentiam cedendi, reuocari potest renuntiatio, antequam Superior licentiam concessit.*

1. **NOTANDVM I.** Dux potissimum causa sunt cessionis, seu renuntiationis, Commodum ecclesie, quia beneficio aliquis, vt par est, præesse non potest: vel salus propria renuntiantis, vt quia Religionem ingredi vult, vel in loco beneficij periculum patitur &c.

2. **NOTANDVM II.** Qui cedendi licentiam petiuit, postea cedere compellitur.

Obijcitur l. 5. ff. de cessione bonorum: *Quem pœnitet bonis cessione, potest defendendo se consequi, ne bona eius veneant.* Respondent hic Innoc. Butrio, Ananias, & alij afferendo discrimina inter cessionem bonorum, & beneficij renuntiationem: Primò; Quia renuntiatio beneficij necessario fit coram Superiore, cui illud videretur, si postquam is eam approbavit, pœnitere liceret: sed cessio bonorum non necessario fit coram Superiore, cum etiam extra iudicium fieri possit, l. vlt. ff. eod.

Secundò: Quia beneficiatus non est absolute dominus beneficij, cum id ad ecclesiam spectet, argum. c. 2. de donat. Qui autem bonis cedit, dominus eorum est: quare cum de maiore eius præiudicio agatur, facilius ei succurritur. Simili ratione qui hæreditatem extranei repudiavit, per pœnitentiam resilire amplius non potest, l. 4. C. de repudianda hæreditate. Sin autem filius patris hæreditatem repudiavit, conceditur ei pœnitentia, antequam res hæreditariæ distractæ sint, l. vlt. C. de repud. hæ.

Tertiò: Quia ad bonorum cessionem necessitas plerumque compellit: Renuntiatio autem liberè, & nemine compellentè fieri solet, quare non est ratio, cur pœnitentiæ locus esse debeat, sicuti in bonorum cessione.

Porrò circa renuntiationem beneficij, num eam reuocare liceat, ita distingue cum Innocentio, iuncta Clement. vn. de renuntiatione. Vel aliquis ipso facto per se, vel

per alium cedit seu renuntiat beneficio in manibus Superioris, v. g. Cedo beneficio, supplicans vt cessionem hanc admittere velitis; Vel non ipso facto cedit, sed petit licentiam cedendi, vt in hoc c. Primo casu Superior non tenetur reuocationem admittere, ne ipsi illudatur, si fortè iam dispositionem fecit alteri personæ idoneæ providendi. Requiritur tamen, secundum stylum Curie Romanæ, consensus expressus renuntiantis ab ipsomet renuntiante, si præsens sit: sin absens, à procuratore eius præstitus in Cancellaria, & Camera Apostolica, vt docet Azor tom. 2. lib. 7. c. 22. q. 14. & c. 23. q. 3.

Nec obstat, quamuis resignatio, facta per procuratorem, rata & irreuocabilis sit, tamen etsi procurator antè reuocatus fuerit, si reuocatio neque in procuratoris, nec in Superioris notitiam peruenit, neque item per fraudem alicuius factum fuit, quò minus peruenerit, iuxta cit. Clem. vn. hoc tit.

Altero verò casu, reuocari potest renuntiatio, antequam Superior licentiam concessit, vt per sensum contrarium colligitur ex hoc c. ver. ea obtenta. Sin autem iam concessit licentiam, tum distingue, vtrum concessio ab ipso Superiore absolute facta sit; tunc omnis pœnitentiæ locus sublatus est. An verò non absolute, sed alicui commissa potestas renuntiationem recipiendi, tum attendenda sunt verba commissionis, & qualitas conditionis, quæ interdum apponi solet; v. g. accipe renuntiationem, onerata conscientia renuntiantis, quòd iustam renuntiantis causam habere sibi videatur, tum recedere is adhuc potest. Vel accipe renuntiationem, si ita expedire, omnibus perpetuis, tibi videatur, tum in arbitrio prudentis Commissarij positum erit, vtrum reuocatio renuntiantis admittenda sit, necne.

Obijciet aliquis: Postquam postulatio alicuius ad prælaturam Superiori præsentata est, postulantes recedere non possunt, c. bonæ, 4. de postul. præl. Ergo nec renuntiaturus posteaquam petitionem suam Superiori præsentauit. Respondeo, negando conseq. Quòd enim postulantes post præsentationem

sentationem recedere non possint, causa est, quia officio ipsis à iure concessio functi censentur: quæ ratio in renuntiatione locum non habet.

Denique de resignationibus à resignatario in loco beneficij publicandis, iuxta constitutionem Gregor. XIII. in Bulla 87. quæ incipit *Humano*, videri potest Steph. Quaranta in *summa Bullarj*, ver. *benefic. resignationes*, Garcias p. 11 c. 3. n. 273. Azor to. 2. lib. 7. c. 24.

CAPITVLVM XIII.

Veniens.

PARAPHRASIS.

Ioannes Subdiaconus ad tres Iudices impetravit literas ab Innocentio III. quibus mandabatur, vt ipsi Ioanni, si canonicum impedimentum nõ obstatet, præbendam ecclesiæ S. Florini in Confluentia, quam eiusdem ecclesiæ Decanus resignauerat, conferri curarent. Cùm autem mandatum Apostolicum exequi vellent, quidam eius ecclesiæ Canonici se opposuerunt, eò quòd dictus Ioannes literis Papalibus renuntiaffet: Id autem negat Ioannes, produxerunt illi testes, qui hoc solum deponebant, quòd Ioannes se gratiæ Capituli commiserit. Quo intellecto, Iudices duo delegati definiuerunt, illum literis Papalibus renuntiasse, ideòque earum vigore non posse amplius præbendam petere. Ab hac sententia Ioannes ad Sedem Apostolicam appellauit, Vigiliam Epiphaniæ terminum appellationis designans. Cùm autem Romam venisset, Honorius III. successor Innocentij, Capellanum suum causæ huius auditorem, ac definitorem constituit; sed aduersarius, aut Procurator eius non comparuit: denique verò aliquis aduenit literas habens, duntaxat ad impetrandum, & contradicendum. Cùm autem mandatum eius sufficiens non esset ad causam prosequendam, Auditor id solum egit, vt dictorum Iudicum senten-

tiam cassaret: quod cùm iniustitia exigente factum sit, id ratum & firmum esse respondit Honorius.

SVMMARIVM.

1. *Impetraturus beneficium à Papa præter alia exprimere debet, quòd, & quo modo illud vacet.*
2. *Executores dati ad beneficia, habent iurisdictionem delegatam in ea causa.*
3. *Appellans contra sententiam definitiuam potest statuere terminum, ad quem in Curia Romana comparendum sit.*
4. *Committens se gratiæ aut misericordiæ alterius, non ideo renuntiat iuri suo; idem est, si quis voluntati vel arbitrio alterius se submisit; quòd intelligendum est, modo iuste seu vt vir bonus arbitratus fuerit.*

NOTANDVM I. Impetraturus beneficium à Papa præter alia exprimere debet, non solum quòd vacet, sed etiam quomodo vacet, vtrum per mortem, an per resignationem. Ita notat hic Ananias, n. 1.

NOTANDVM II. Executores dati ad beneficia, censentur habere iurisdictionem delegatam in ea causa: quàm obrem iudices hõ appellantur, qui exortam controuersiam iudicialiter definiuerunt. Ita etiam colligitur ex c. tibi, 12. de rescript. in 6. & notat Gl. in Clem. vn. de offic. delegati, ver. *executores*, Anton. hic not. 2. post Innocent. in c. vlt. de præsumpt.

NOTANDVM III. Appellans contra sententiam definitiuam potest statuere terminum, ad quem in Curia Romana comparendum sit: adeò vt si appellatio ab aduersario fuerit approbata, vterque per se, vel per procuratorem sufficiens instructum ad causam agendam in Curia comparere debeat; alioquin in expensis condemnabitur. Sin autem appellatio approbata non fuerit, tunc sufficit mittere procuratorem ad impetrandum, & contradicendum; id est, non vt causam ibi agat, sed vt alios iudices in prouincia impetret, vel huic impetrationi contradicat. Quæ de re Gl. hic, & traditur in c. Nicolao, 64. & 9.

Ooo inser-

interposita, 70. §. 1. de appellat. Quid autem specialiter obseruandum sit in appellationibus causarum beneficialium, dixi in c. 1. & c. cupientes 16. de elect. in 6.

Præcipua autem difficultas restat, cur Auditor, cuius sententiam approbavit Pontifex, iudicium illorum sententiam cassauerit, ob quam causam alij deinde Iudices in ecclesia Leodiensi constituti fuerunt. Aliqui dicebant, ideo sententiam horum iudicum irritam fuisse, quia cum tres deputati essent, duo tantum sine tertio iudicauerunt. Sed cum huius peccati in textu mentio nulla fiat, non est id præsumendum, sed potius, quod causa ipsis commissa fuerit, addita clausula, *quod si non omnes interesse possint, saltem duo exequantur*, iuxta c. prudentiam, 21 de offic. delegati.

Alij dicebant, ideo sententiam iudicum cassatam fuisse, quia contra Ioannem Subdiaconum nullus legitimus contradictor comparuit: Nam Canonicis illis, vt personæ singulares sunt, nullum ex renuntiatione ius quæsitum erat: nomine autem Capituli opponere se non poterant, absque mandato ostenso, c. 1. de procurator. Ad hoc respondere debet, Canonicos, vt singulares personæ sunt, potuisse opponere, quò minus Ioannes in suo Collegio institueretur absque legitimo titulo, quippe cui renuntiauerat; sicuti quilibet è Capitulo se opponere potest, ne aliquis per fraudem seu per literas falsas intrudatur; quia id omnium Capitularium interesse censetur, adeò vt Capitulum hanc oppositionem singulis prohibere non possit, secundum Innoc. in hoc c.

4 Vera igitur, & communis responsio est apud Innoc. hic, & Ioan. Andr. n. 9. Anton. n. 5. Ananiam n. 10. Si quis se committat gratiæ, aut misericordiæ alterius, non ideo renuntiare iuri suo: quia non aliud proficitur, quam se sperare, quòd per gratiam, seu liberalitatem illius consecutus sit, quòd optat: Sin minus, integrum ipsi erit per iustitiæ viam exigere. Idemque esse, ait hic Ioan. Andreas, si quis voluntati, aut arbitrio alterius se submiserit: quia ita intelligi debet, dummodò is iuste, seu vt vir bonus arbitratus

fuerit, argum. l. si libertus, 30. ff. de operis libertorum. Quæ doctrina ex eo confirmatur, quòd supra dictum, renuntiationem stricte interpretandam, neque facile præsumendam esse.

CAPITVLVM XIV.

Lectæ.

PARAPHRASIS.

Abbas S. Petri Ecclesiæ Tullensis, existimans se ex infirmitate moriturum, Monachos suos, aliquo fraudulentum suggerente consilium, ab obedientia absoluit; & mox Episcopum vocauit, vt in eius manibus Abbatiam resignaret, non tamen resignauit. Porrò eidem Abbati ad sanitatem restituito Monachi capitulariter congregati obedientiam denuo promiserunt. Super hoc casu quæstio mota fuit, vtrum dictus Abbas regimini suo renuntiasse censendus sit. Respondet Honorius III. eum non renuntiasse.

SUMMARIVM.

1. Si Prælatus ab obedientia subditos absoluit, non ideo Prælaturæ renuntiat.
2. Valide aliquis renuntiat iuri reali, vt situruti, etiam absente eo, in cuius utilitatem renuntiatio cedit.
3. Quòd tamen verum est tantum in his iuribus, quorum renuntiatio in libera nostra potestate est, non autem in ecclesiasticis beneficiis, aut dignitatibus.

Ratio responsionis est manifesta: Quia voluntas renuntiandi non sufficit, nisi factum sequatur, arg. c. 1. de eo qui mittitur in possess. iun. Gl. ver. voluntatem. Abbas autem iste voluit quidem renuntiare, non autem renuntiauit, cum sciret se non posse nisi in manibus Episcopi, quem proinde vocauit, sed (siue is aduenerit, siue non) meliore consilio capto, renuntiationem intermisit.

Neque obstat, quòd Monachos ab obedientia

obediencia absolut : Nam absolutio ista irrita fuit. Fieri enim non potest, vt Prælato, dum prælaturam retinet, subditi, præsertim Regulares professi, obedientiam non debeant, cum prælatura & subiectio; Regimen & debita obedientia correlata sint. Quare frustra Monachi illi reuerentiam & obedientiam denuo sponderunt Abbatibus, à qua nunquam liberati erant: Absolutio enim ab obedientia sequitur renuntiationem Prælati; eam verò antecedere haud potest.

NOTANDVM Vn. Quod docent Innoc. in c. veniens, Anton. ib. n. 6. Ananias, n. 3. & seqq. Quod aliquis iuri reali, videl. dominio, aut quasi dominio, vt seruituti &c. validè renuntiet, etiam absente eo, in cuius utilitatem renuntiatio cedit; adeò, vt & possessionem, vnà cum dominio amittat, si vtrumque perdere velit: præsertim si à re abcedat, vt appareat, quòd eam pro derelicta habeat: Quin et si non recedat, sed corpore insistat, si tamen declarat, non habere se animum possidendi, cum nolit esse suam, videtur amitti possessio, iuxta l. si quis vi, 17. §. differentia. ff. de acquir. possess. vbi dicitur, quòd possessio recedit, vt quisque constituit nullo possidere. Quamdiu autem possessionem aliquis retinere vult, seu nomine suo possidere, non potest dominium perdere, vt ibidem dicitur. Hæc, inquam, doctrina locum duntaxat habet in ijs iuribus, quorum renuntiatio libera in nostra potestate est, non item in ecclesiasticis beneficijs ac publicis dignitatibus, quas amittere non possumus, nisi recipiente eo, à quo accepimus, sicuti constat etiam ex l. penult. ff. de offic. Præsidis, vbi dicitur, quòd Præsides provincie abdicando se non amittit imperium; vbi Gl. addit, nisi id faciat in manu Principis, à quo habet imperium. Sic & Episcopus non potest renuntiare, nisi in manu Papæ. Neque Abbas, nisi in manu Episcopi, cui subiectus est, c. vlt. causæ 16. q. vlt. c. Abbas, 8. causæ 18. q. 2. Vel in manibus Superioris sui Regularis, aut Papæ, si exceptus est, c. vlt. hoc tit.

Veruntamen, si aliquis renuntiet beneficium suum in manu Clerici pro Superiore acceptantis, quamuis sine mandato, tum va-

lebit renuntiatio quoad renuntiantem; ita vt in arbitrio Superioris postea sit, an renuntiationem ratam habere velit. Ita notat Petrus Ancharanuse. 2. hoc tit. in 6. arg. l. si ego, 24. ff. de negotijs, & consentiunt ea, quæ dixi suprâ. c. super hoc, & c. quod in diuers.

CAPITVLVM VLT.

Dilecti.

PARAPHRASIS.

Perlatum fuit ad Gregor. IX. Pontificem, quòd Abbas Monasterij S. Guilielmi, Sedis Apostolicæ immediatè subiecti, cum se insufficientem cerneret, renuntiavit Abbatibus in manibus Conuentualium suorum; qui proinde Gasparem S. Victoris Monachum in Abbatem elegerunt. Ad id rescripsit Gregorius, cessionem irritam fuisse; cum Abbas ille absque Sedis Apostolicæ assensu cedere nequiuisset. consequenter etiam electionem nullius esse momenti. Quamobrem iubet, Abbatem in locum suum restitui; postea verò permittit, vt eius cessio Apostolicæ Sedis auctoritate recipiatur.

SUMMARIVM.

1. Prælatus vel alius beneficiatus cedens in manibus non sui Superioris, vel Collatoris, sed aliorum clericorum, potest, sed non tenetur, Superior cessionem admittere.
2. Prælato petenti iusta de causa cessionem, deneganda ei non est.
3. Si non valet Prælati renunciatio, nec valet etiam electio.
4. Si presentatio ad beneficium, vel eius collatio pertineat ad Abbatem, aut electio ad Capitulum, tenetur horum consensus Episcopus requirere.

NOTANDVM I. Si Prælatus, alijsue beneficiatus cedat in manibus sui Superioris aut Collatoris, sed aliorum Clericorum, non tenetur Superior cessionem admittere. Potest tamen, si velit, eam ratam

Ooo 2 habere,

habere, vti dixi in c. quod in dubijs, & docet hic Gl. ferme communiter recepta, ver. in manibus.

QVÆRES: Cur ergo Pontifex iussit eum in locum suum restitui, atque iterum renuntiare, si priorem renuntiationem approbare potuisset. Resp. Ideo non approbasse, seu ratam habuisse cessionem factam in manibus Conventualium, quia ipsi eam pro rata, & firma habuerunt, adeo, vt veluti vacaret Abbatia, ad nouam electionem procedere ipsis liceret. Quare ad refutandum errorem istum, Papa mandauit prius restitui Abbatem in locum suum, & postea renuntiare in manibus Papæ.

2 NOTANDVM II. Si iusta aliqua de causa Abbas, vel similis Prælatus cessionem petat, ipsi neganda non est, vti etiam habetur in c. vlt. causa 16. q. vlt. & dixi de hac re supra in c. admonet, 4. hoc tit.

3 NOTANDVM III. Si non valuit renuntiatio Prælati, non potest etiam valere electio: & vniuersim si aliquis legitime destitutus non fuit, alius in locum eius legitime institui non potuit, c. hæc quippe, 10. causa 3. quæst. 6. Sic etiam dictum c. præced. Si renuntiatio, adeoque vacatio prælaturæ legitime non antecessit, non valuisse absolutionem ab obedientia. Quia hæc sequitur ad renuntiationem: vbi autem principale non consistit, nec accessorium consistere potest. Ita notauit hic Gloss. ver. electionem.

4 QVÆRIT hoc loco Ioan. Andr. num. 8. Ananias num. 11. Si præsentatio ad beneficium pertineat ad Abbatem v.g. vtrum Episcopus teneatur eius consensum requirere? Et respondent affirmatiuè, argum. c. in Lateranensi, 31. de præbendis, c. adhæc, de officio Archidiaconi, vbi & ratio afferitur: quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Idemque simili ratione docet Gloss. in cap. vn. de rerum permut. in 6. ver. collationem, Anton. in c. quod in dubijs, num. 6. Ananias num. 27. Garcias p. 111. **5** de beneficijs, cap. 3. num. 72. Si ad alios, v.g. Capitulum pertineat electio, vel ad a-

lium v. g. Præpositum, aut Abbatem pertineat collatio beneficii; quod Episcopus cessionem beneficiati accepturus, eius consensum requirere debeat.

Hanc doctrinam communiter receptam limitandam censeo; Quod patronus, electores, & collator contradicere non possint, si Episcopus iusta de causa resignationem beneficiati seu absolutam, seu causam permutationis accipere velit: quia id ad officium eius, à sacris canonibus ipsi commissum spectat, vt supra dictum in c. admonet 4. Quare ea maxime de causa dictis personis renuntiatio seu recipienda, seu recepta significari debet, vt ipsi vacatione beneficii cognita ad nouam præsentationem, electionem, aut collationem procedere possint.

CAPITVLVM. I. eod. Tit. in 6.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Summus Pontifex renuntiare potest Papæ, tum maxime, si se insufficientem agnoscat ad regendam Ecclesiam vniuersalem. Ita definiuit Cælestinus V. præmissa deliberatione cum Cardinalibus, inter quos vnus erat Bonifacius VIII. successor illius. Cuius rei ipsemet, huius auctor, testis omni exceptione maior exiit.

SUMMARIVM.

1. Summus Pontifex potest liberè Papæ renuntiare, neque obest, quod renuntiatio hac non possit fieri in manu Superioris, ita enim fieri debet renuntiatio respectu illius, qui Superiorem habet.
2. Si Papa se Pontificatu abdicat, hanc abdicationem Deus acceptat, hoc est, Pontificiam potestatem ab eo tollit.
3. Grauisimè peccabit Pontifex, si absq. necessitate Papæ renuntiet.

In con-

In contrarium obiici solet: Renuntiatio fieri debet in manu Superioris: Papa autem Superiorem in terris non habet: Ergo renuntiare non potest. Sin autem dicatur, quod Deus eius renuntiationem acceptet, ea acceptatio incerta videtur, cum nullo signo cognoscatur. Respondetur: Regula illa, quod renuntiatio prælaturæ &c. in manu Superioris fieri debet, de ijs duntaxat traditur, qui Superiorem habent, non autem de Principe, seu Superiorem non habente. Sic etiam (ait hic Ioann. Monachus) regulam habemus, quod nullus in propria causa iudex esse potest. l. Qui iurisdictioni, i. o. ff. de iurisdictione omnium iudicum: Et tamen Princeps, seu qui Superiorem non habet, in propria causa iudicare potest, uti dixi lib. 3. Th. mor. tr. 6. c. 2. n. 11.

Porro si Pontifex abdicet se Pontificatu, necessariò dicere debemus, quod Deus abdicatorem acceptet, seu ab ipso Pontificiam potestatem tollat. Nam alioquin consequens esset, ut Ecclesia longo tempore à nullo pastore visibili gubernaretur, si vno se abdicante, alius in locum eius cum simili vniuersali potestate substitui non posset: id verò repugnat Christi promissionibus. Atque hæc ratio ostendit validam fore renuntiationem Papatûs, etiam si sine iusta causa fiat. Cum enim Ecclesia Pontificem cogere non possit ad retinendum Pontificatum, sed tantum monere, ac rogare; si is, posthabitis monitionibus, officium pastorale re ipsa, & voluntate deserat, non esset Ecclesiæ prouisum, nisi eo abdicante se, alius eligeretur. Grauisimè tamen peccabit Pontifex, si absque necessitatis causa Papatui renuntiet: cum inter ipsum & Ecclesiam vniuersalem ædificatum vinculum, à Deo ipsi impositum, existat. Videri potest Ioana. Andr. super hoc c.

CAPITVLVM II.

Sic te.

PARAPHRASIS.

Titius impetrauit à Pontifice gratiam, quam

vocant expectatiuam, id est, mandatum, ut in ecclesia v. g. Augustana prouideretur ipsi dignitas, vel præbenda, si vacaret, alioquin proximè vacatura. Hoc intellecto, Caius æmulus eius, qui tenuit beneficium possidebat, illud resignauit, ut Titius à pinguiore, quæ postea credebatur per mortem, vel alio modo vacatura excluderetur. Hoc casu respondet Pontifex, non obstante ista resignatione, perinde ac si ea facta non esset, Titium expectare posse, donec pinguius illud beneficium vacet; dummodò sufficientibus iudicijs ostendi queat, Caium in fraudem, aut odium Titij beneficium suum resignasse.

S V M M A R I V M.

Ostenditur æquitas responsionis Pontificia: quod scilicet non reneatur is, qui impetratà gratiâ expectatiuâ à Papa, expectat primum vocaturû beneficium pingue, tenue aliud accipere, si interea hoc in fraudem eius alius resignet, cum proximè credatur pinguius vacaturum.

Æquitas huius responsionis sumitur ex reg. 20. in 6. Non debet aliquis alterius odio prægrauari. Et l. i. ff. de dolo malo, dicitur, quod per dolum malum deceptos, actio de dolo, (si alia nulla competat) secundum Prætoriam æquitatem concedatur, ne vel dolosis malitia sua sit lucrosa, vel deceptis simplicitas damnosa.

§. Caterum.

Quod si Caius ille renuntians beneficio tenuiori, alterum pinguius postea vacans ipsemet obtinuerit, eo ipso præsumptio erit, in fraudem id egisse, ut alia probatione opus non sit. Poena autem ipsi statuta sit, ut utroque beneficio careat: priore quidem, quia ei renuntiauit: posteriore autem, tum quia alteri est debita; tum quia æquum non est, ut ipsi calliditas sua proffit, seu ex propria iniquitate commodum ferat. Ita Ioann. Monachus hæc.

Ooo; TITV